

ram corporis. Nec denique habet aliquos effectus naturales, quia corpus Christi sub illo modo neque potest agere, nec pati a causa naturali; vel si aliquos effectus habet, illi videbuntur ab Angelo, non ipsa præsentia.

XXIII. Ad fundamenta opposita respondetur. Ad primum dicitur, modum illum præsentiae esse supernaturalem, quia est participatio quædam divinæ immensitatis, sicut gratia et charitas sunt participationes divinæ naturæ et voluntatis; differenter tamen, quia gratia et virtutes ordinantur ad fruitionem divinam, ad quam elevant creaturam rationalem; ista autem præsentia solum ordinatur ad reddendum corpus præsens modo illo particulari, qui est participatio divinæ immensitatis quatenus non solum reddit corpus indivisibiliter præsens, sicut res spiritualis, sed etiam sine termino definitivo præsens, sed ubicumque conservari potest; in quo excedit præsentiam rerum spiritualium, quæ definita est; et ita non est solum participatio præsentiae spiritualis creatæ, sed ipsius immensitatis Dei.

XXIV. Nec obstat, quod sit aliquid corporeum subjective, et ex parte ejus in quo est; sufficit quod participative sit aliquid divinum. Sicut etiam unio hypostatica, ex parte corporis Christi est aliquid corporeum, et tamen non potest ab Angelo cognosci, quia est ordinis divini.

XXV. Ad exempla quæ adducuntur de effectibus virtute supernaturali et divina factis respondetur. Ad primum, illos effectus esse naturales entitative, licet ex modo faciendi sint supernaturales; sicut vita mortui, oculus cæci, ubi penetrativum intra corpus alterius. Ad secundum de dotibus gloriæ dicimus, quod si entitative sunt supernatu-

rales (quod non est certum) tamen habent aliquos effectus in rebus naturalibus, sicut lux gloriosa lucet et illuminat, et agilitas movet corpus gloriosum, aut alia corpora, et sic de aliis. At vero sacramentalis præsentia est participatio quædam divinæ immensitatis; non quia corpus Christi sit ubique extensum, ut quidam hæretici hujus temporis erraverunt; sed quia ita est de facto sub speciebus, quod potest sub aliis, si consecrentur, et sub pluribus sine termino esse; quod nulli præsentiae spirituali convenire potest, quia definitiva et limitata est.

XXVI. Ad id vero quod dicitur de anima Christi, pater Suarez hic disput. LIII, sect. v, concedit probabile esse, animam Christi videri ab Angelo ut existentem in hoc sacramento, licet non videatur unio ejus ad corpus, quia corpus non videtur, et unio tenet se ex parte corporis. Oppositum tamen videtur dicendum juxta dicta. Licet enim præsentia illa, si præcise consideretur ut indivisibilis, non excedat spiritualem præsentiam animæ, quæ definitivo modo non reddit rem præsentem, sed extendit ad quemcumque locum, ubi conservari potest; sic excedit præsentiam spiritualem animæ, et cujuscumque rei spiritualis, quia est participatio quædam divinæ immensitatis, et sic latet omne lumen naturale.

XXVII. Ad argumenta vero quæ formari possunt a simili de cognitione unionis hypostaticæ in humanitate, dicendum est sicut in materia de incarnatione disputatione prima, quod licet Angelus videat illam humanitatem existentem et operantem, et non habentem propriam subsistentiam, tamen inde non poterat conjecturare cum aliquo fundamento quomodo illa humanitas sustentaretur a Deo, sed solum poterat ju-

dicare aliquo peculiari mysterio humanitatem illam teneri, quod latet ipsum; non tamen poterat determinare judicare, quod per subsistentiam increatam sustentaretur. Sic in præsentia videt Angelus naturaliter corpus Christi, ejusque quantitatem et accidentia, non tamen videt illum modum præsentiae, nec quomodo Christus sit præsens in sacramento præsentia sacramentali. Nec repugnat Angelum absolute scire quod illud corpus existit in rerum natura, et ignorare ubinam sit determinate, quantum ad existentiam in sacramento. Nam in cælo bene cognoscit quod sit corpus Christi præsentia naturali; modus enim ille præsentiae sacramentalis est distinctus ab existentia corporis Christi, et non repugnat videri unum non viso alio, si iste supernaturalis est.

XXVIII. Restabat in præsentia agere et explicare quænam sint, quæ ponuntur in sacramento ex vi verborum, et quæ sint quæ ponuntur per concomitantiam; sed res ista non est magnæ controversiæ, nec specialis difficultatis. Breviter dicimus, poni ex vi verborum in sacramento omne illud, quod expresse et directe significatur per verba consecrationis; per concomitantiam autem, quidquid in re est connexum cum tali significato, non tamen directe exprimitur per ipsa verba, nec est significatum per illa. Unde poni ex vi verborum, non tam est aliquid dictum de termino conversionis physice et absolute in re positæ, quam de ipsa ratione formali, et termino hujus actionis ut ut sacramentalis, et alligatæ verbis formæ. Fecit enim Christus hanc conversionem non quomodocumque, sed alligando illam significationi verborum. Et quia verba significant aliquid explicite et directe, alia vero implicite, et prout con-

juneta rei significatæ; ideo optime distinguitur iste duplex modus ponendi aliquid ex vi verborum, et aliquid per concomitantiam, ut approbat Concilium Tridentinum sessione XIII, capite tertio.

XXIX. Ad discernendum ergo quid ponatur ex vi verborum, et quid per concomitantiam, oportet attendere significationem propriam verborum consecrationis, ut cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, ubi hoc tenet se ex parte subjecti, et significat contentum sub speciebus; ideoque non designat id quod ponitur ex vi verborum, sed rem illam de qua dicitur tamquam de subjecto, id quod ponitur ex vi verborum: id ergo quod tenet se ex parte prædicati ponitur ex vi verborum (scilicet corpus meum) ubi nomine corporis non significatur sola materia prima (quia hæc non est corpus, sed pars corporis) sed significatur compositum ex materia et forma, prout constitutum in gradu corporeitatis. Quæ sit autem ista forma, an aliqua forma corporeitatis distincta a forma animæ, ut putant aliqui dari in rebus naturalibus; an vero forma animæ in se, sive forma inanimis, ut forma cadaveris, non explicatur per illud verbum; sed solum corpus, prout præcise dicit constitutum ex materia et forma dante gradum corporeitatis, quod in re semper est determinate corpus vivum, ut modo; vel inanime, ut in triduo mortis Christi; et per illam actionem physicam utrumque in re potest poni, et de facto ponitur, prout fuerit in Christo, et prout determinatur per *ly meum*. Ex vi autem significationis verborum præscindit, et non determinat formaliter unum, vel alterum, quia formaliter solum significat corpus; non quod formaliter in re possit poni corpus abstracte sumptum, sed quia vis signi-

ficativa verbi neutrum formaliter determinat. Vis autem physica conversiva utrumque indifferenter amplectitur; et illud ponit de facto, ad quod determinatur per illam particulam meum, tam quoad implicitum, quam quoad explicitum, prout fuerit in Christo.

XXX. Secunda illa particula meum, ex vi significationis exprimit proprium corpus Christi secundum tres conditiones. Prima, quod nomine corporis mei intelligitur corpus quantum ad partes solidas corporis humani, ut distinguitur a sanguine et humoribus. Licet enim hæc sint corpora physice loquendo, tamen secundum usum communem nomine corporis in animalibus intelligitur id quod est solidum, ut distinguitur ab humoribus: et ita dixit Tridentinum citato loco: « Quod sanguis non ponitur ex vi verborum in consecratione panis, sicut neque corpus in consecratione calicis ex vi verborum ponitur. » Secundo, nomine corporis mei, ex vi verborum intelligitur corpus organicum organizatione humana, quia corpus non organicum non est proprium Christi, nec meum. Ista autem organizatio humana non significatur determinate ex vi verborum, quod sit mortua, vel viva; nam etiam corpus mortuum manet organicum, et dicitur humanum mortuum, non vivum; poterat autem poni corpus mortuum Christi, si consecraretur in triduo mortis.

XXXI. Tertio, per *ly meum* significatur explicite ordo illius corporis ad illud individuum, seu suppositum, in cujus persona pronuntiantur verba (scilicet ad Christum.) Nam *ly meum* explicite et per se est relativum possessionis, et ita dicit ordinem ad possidentem. Cum autem Christus pronuntiaverit illa verba, et in persona ejus pronun-

tientur modo, oportet quod *ly meum* dicat ordinem possessionis ad personam Christi pronuntiantem illa verba. Quæ sit autem ista persona, divina, an creata; cum unione hypostatica, vel sine ista, Non exprimitur; sed sicut ex parte *ly corporis*, significatio illa abstrahit a corpore vivo et mortuo (licet modo in re semper sit vivum) ita *ly meum*, ex parte personæ possidentis, non significat quid sit illa persona (ideoque dixit Concilium citato loco: « Divinitatem poni per concomitantiam, » id est, personam ut divinam) sed solum explicat personam possidentem illud corpus, et sic pronuntiantem verba. Idem proportionaliter debet dici in forma calicis, per *ly sanguinis*, et *ly mei*.

XXXII. Ex quibus deducitur, in consecratione panis poni ex vi verborum corpus organicum, humanum, solidum (seu quoad partes solidas distinctas ab humoribus) proprium Christi; et in consecratione calicis sanguinem humanum proprium Christi, abstrahendo utrobique a vivo et mortuo: per concomitantiam autem ponitur utrobique anima quantum ad formalitatem et gradum animæ; divinitas seu Persona Verbi; unio hypostatica, accidentia absoluta, et alia omnia quæ sunt conjuncta corpori et sanguini, et non significantur verbis explicite. Similiter in consecratione panis ponitur sanguis per concomitantiam, et in consecratione calicis ponitur corpus per concomitantiam, quia ita de facto invenitur illud corpus, et ille sanguis in Christo, et sunt ad invicem conjuncta; in triduo autem mortis Christi, nec per concomitantiam poneretur sanguis cum corpore, neque corpus cum sanguine, quia in re erant separata, et sic propria Christi.

QUÆSTIO LXXVIII.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

I. Tria præcipue resolvit, et tractat S. Thomas in hac quæstione. Primo, convenientiam utriusque formæ, tam panis, quam calicis; primo in communi, deinde in particulari; de utraque forma per tres primos articulos: secundo, agit de virtute effectiva utriusque formæ in ordine ad suum effectum: tertio, de verificatione locutionum, quomodo scilicet, et pro quo instanti verificentur illa verba; cui adjungitur alia difficultas, an una forma expectet prolationem alterius ad habendum suum effectum, vel independentem ab alia sortiatur illum. Et resolvit, quod quælibet forma statim ac profertur habet suum effectum.

DISPUTATIO XXIX.

DE FORMIS CONSECRATIONIS HUIUS SACRAMENTI.

ARTICULUS I.

Quænam sint essentia verba utriusque formæ, et quid formaliter significant?

I. Suppono tamquam certum, Christum Dominum confecisse hoc sacramentum verbis consecrationis

sicut præcepit discipulis ut facerent, et nunc universa facit Ecclesia. Nam licet aliqui olim senserint Christum Dominum sine verbis confecisse, sed ex sola sua potestate, licet postea verba dixerit, ut nos illis uteremur, sicut de aliquibus refert S. Thomas in hac quæstione articulo primo, tamen nunc illa sententia sustineri non potest, quia Concilium Florentinum in decreto pro Armenis dicit: « Formam hujus sacramenti esse verba, quibus Christus hoc sacramentum confecit. » Et Tridentinum sess. XIII cap. I dicit: « Christum hoc sacramentum instituisse, cum post panis vini benedictionem, se suum corpus et sanguinem illis præbere disertis ac perspicuis verbis testatus est. » Id etiam constat traditione Ecclesiæ, quia in canone missæ dicitur: « Quod accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum. » Quod totum sumitur ex evangelio: et ita communiter patres dicunt, Christum Dominum verbis suis mutasse panem in corpus suum: et in hymno corporis Christi Ecclesia canit: « Verbo carnem efficit. »

II. Dubitatum est autem a quibusdam, an Christus Dominus diversis verbis benedixerit, quam consecraverit; ita quod aliud fuerit benedictio quam consecratio. Nam